

W 6  
151



h



h. 117, 18.



GENEALOGIA ET BREVIS  
rerum gestarum consignatio

GENEROSORVM

ATq; ILLVSTRISSIMORVM CO,  
MITVM AC PRINCIPVM HENNEN-

bergicorum, quanta ab hominum memoria & li-  
brorum fide repeti potuisse videtur, Item

EORVND E M

INSIGNIA GENTILICIA ET

Imagines cum interpretatione de commones  
factionibus symbolicis, Heroibus ac  
Principibus dignis, compræhensa

CARMINE ELEG. ET

Dedicata loco strænæ

GENEROSO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC  
DOMINO, DOMINO GEORGIO ERNESTO,  
COMITI HENNENBERGICO, DOMINO  
SVO CLEMENTISSIMO.

ab Auctore

JOH. PISCATORIO Norib. Professore poëtices  
in Academia Salana.



8

*J. P. S.*





INDEX PRÆCIPVORVM  
in hoc opusculo.

B 1. Poëtices qui finis & cur eius symbolum He-  
dera.

Historicæ cognitionis utilitas, auctoritate &  
exemplis Ahasveri, Carolorum Magni & V.

B 2. Principis & seculi istius Elogium.

Cur extrâ CHRIS TI genealogiam, nulla  
prætereâ sic integra & continuata extet à primis  
usq; conditoribus familiarum.

Vtrum de rationibus fidei historicæ verisimi-  
lius sit, Hennenbergicæ gentis conditores fuisse  
homines Italos, an contra Columnenses Italos ab  
hac Germanica familia descendisse.

B.4. Primi, quos librorū monumenta perhibent,  
auctores huius profapiæ, Gothevoldus & Ottho  
Caroli Magni commilitones.

Celebratur & Boppo Episcopus Herbipolit.  
Boppo ex sorore Othonis Caesaris nepos  
Bertholdus conditor cœnobij Gottes *Nw.*

C. 1. Sed horum series, omisis alicubi posteris, in-  
terrupta est. Sequitur deinceps integra & con-  
tinuata successio & quasi tradux à Boppone, qui  
pro Imperatore Henrico III. contra Rodolphū  
bullatum Imperat. Melrichstadij (quod vulgo est  
*Mellerstadt*) heroice pugnans cecidit. Vxor Hil-  
degardis filia Lud. Barbati Landgr.

Filius Gotevvald. conditor cœnobij Vesseræ,  
quod nobile est sepultura Comitum.

A 2

C.1.Fil.

C. 1. Fil. Berth. Burggrauius Herbipolit. moritur  
in peregrin. in terram sanctam. Vxor Palatina  
Sax. Id temporis Vessera conflagrat: florere  
deinde Trostadium coepit.

Fil. Boppo socius expedit. Caesaris in terram  
sanctam moritur peregre: Vxor Princeps Bauarica.

C. 2. Fil. Bertholdus, qui fideliter affuit Philippo  
Caesari contra Othonem Sax: moritur coelebs, cuius  
Frater Boppo, in quo stirps habuit statum & vigo  
rem. Retinuit armis dignitatem Burgr. Herbipol  
itani ultimus, contra vim Episcoporum: peperit  
victoriam insig. die .Nicol. & Meiningam iure  
belli suam fecit.

C. 2. Suinfurti amissio & recuperatio. Haereditatis  
in partem Hennenbergicam & Coburg, seu Fran  
cicam divisio bipartita.

In Parte Coburg, quae cito defecit,

C. 3. Hermannus praestans autorit & prud. prope  
ut ad Imperium attolleretur: victus Kitzingae ab  
Episcopo Herbipol. cladem ulciscitur, exurens  
Schvartzach: Fil. Boppo, qui absq; haerede  
masculo decedens suam partem Coburg, devoluit  
in famil. Brandenburg. per sororem.

Pars Hennenberg, quam acceperat

C. 3. Henricus natu maior: is recuperat, quae Episco  
pi eripuerant, opida. Vxor Ducissa Tecciaca.

C. 4. HAEREDITATIS in filios tripartita divisio.  
I. PARS & familia quae brevissime duravit (ut  
ἄριστον ἔστιν, compendij causa committatur) a meo  
dio fratrum Henrico, cui μέγας ἐπιβάλλον nomen  
dedit Hartenbergico, Fil.

Fil. Boppo

Fil. Hermannus qui sine liberis extinctus hæredem reliquit patruelem, ut sequetur.

II. PARS & famil. Aschachiana dicta quam tertius fratrum sortitus.

Eius Fil. Henricus, qui litib. hæreditarijs renunciat pacificus.

Fil. Hermannus bellicosus adversus Abbatem Fuldens. & patrueles, succedit etiam in hæredit. Hartenbergicam.

Fil. Frideric.

Fil. Georg. fundator cœnobij Romhildi, uxor comitissa Nafs. filia 5

D. 1. Filij 7. qui Columnas à Cæsare in gentilijs imag. vel impetrarunt vel recuper. Ex ijs ultimus natus, patri succedit, Vxor ducissa VVirtenb.

Fil. Hermannus; Vxor Brandenburg.

Liberi IX. cum quib. tamē familia extinguitur.

III. PARS & in ord. prima, Hennēbergica.

Berthold. Vxor Comitissa Schvvartzb.

D. 2. Fil. Bertholdus titulo & axiomati Principis Imperij princeps in hac stirpe in auguratus. Tribus Imperatoribus perquam charus & familiaris: ditionem Francicam seu Coburgens. partem recuperat; Summam rerum penes primogenitum in ea famil. esse instituit Testamēto: Quas ædes ædificaverit, vide carmen.

Fil. Ioh. accersitus ex Dania, in qua Regi stipendia faciebat, succedit fratri primogenito sed

A 3

orbo

orbo liberis. Ditio Coburg, iterum alienatur.

Fil. Henricus Insignia Burgraviatus postli-  
minio usurpat: bellum gerit cum Episcopo Her-  
bipolit: potitur Meinberga. Eius ædificationes  
vide in Carm.

**D. 4.** Fil. Guiliel. I. Cypri moritur.

Fil. Guil. II. arcem Haunum expugnat, &  
arcis Dominū cum filio abducit captum. Ictus ab  
apro moritur.

Fil. Guil. III. Visurus Romam moritur in  
reditu: è Bozeniano sepulchro refertur in patriā.  
Obitet de tenebris illorum temporū, atq; Episco-  
porum furijs & peregrinationum Idololatria.

Fil. Guil. IIII. in aula Princ. Palatini Ru-  
perti educatus & eidē parastates belli & victoriæ  
Bavaricæ:

Obiter, de tertio signo regni tenebrarum, vi-  
delicet de fanatica & nobili ad statuas & fanum  
Grimmethalense concursatione eodem circiter  
tempore. Liberi de Vxore Brandenburg. XIII. Ex  
quibus successor qui iam rerū potitur **GEORG.  
ERNESTVS**, ibidem de eius anno & die nas-  
tali, &c. & obiter gratulatio de nostri seculi felici-  
tate comparata cum temporib. veteribus

**E. 4.** Imaginum eius profapia pictura, Quid signi-  
ficent Typhæ in dextra galea: Definitio & origo  
mansuetudinis: exempla Episcopi Herbipolitani  
Melchioris, & Electoris Sax. Frid. qui dictus est  
sapiens.

In Typha Caput thyrsi lanuginosum, folia en-  
sis ancio



sis ancipiti acie, typus temperandæ severitatis & clementiæ.

Typhæ medulla in medijs aquis spongiosa & sicca: Pharao cur in mari iunci vel cannæ submersus. Mosis symbolum fiscella de calamis eius modi contexta.

Typhæ 2. ad aures utrasq; quid significant. Cur altera galearum mitrata, altera coronata. Cur olim pontifex vittatus ac Infulatus: Rex cæsarie nuda & aperta.

Cur Christus aliquando beneficia & miracula sua noluit divulgari.

Quid significarit, quod servi manu missi gerebant pileos.

Quid virgo in galea coronata, & ipsa quidem manibus orba & in capite columnam sustinens. Et quod olim Gibellinorum & columnensium idem etymon & origo.

G. 1. Gallina quid CHRISTO, quid Principe dignum significet.

G. 2. Pavonis cauda in imaginibus quid significet. Dux V Virtenb. Eberhard, exemplum facilis & felicitis gubernatoris.

G. 3. Scachia allegoria.

G. 3. Gallinæ & aquilæ comparatio, Cur gallina monti, Aquila scachia incumbat.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of entries.



## HENNENBERGICA genealogia.

**H**Ennenbergiacę stirpis primordia, stirpis  
Teximus Annales & monumenta tuę  
Princeps ter venerande Georgi Ernestę tuisq;  
Pangere lo ceris gestit Apollo chelyn,  
Et tua facta canit. Nam per se illustria rerum  
Nescio quo fiant viuidiora modo,  
Ex hederis si quando perennicomantibus illa  
Cingit & amplexu læta corona fovet.  
Vidimus ut proprio se Populus ardua cultu  
Ferret & æstivo tempore staret ovans,  
Atq; Corymbiferis nihilominus hospita Spirits  
Robora pro fulcro præsidioq; daret.  
Vidi rursus hyems ubi depopulata decorem  
Arboribus reliquis Populeęq; comę est:  
Accepisse vices, hederam quę acceperat, ultrõ,  
Atq; Corymbifera perviruisse coma.  
Omnia sic humana vigent per mutua, quando  
Dextras dissimiles copulat una charis.  
Hoc hederę voluere suos monuisse poetas,  
Populus hoc magnis indicat alta viris.  
Vos mihi materiam, vos quo fundamine possim  
Serpere & ad nubes exeruisse caput,  
Sufficitis Proceres: Vestris virtutibus à me  
Longior ut possit vita manere, meum est:  
Sic chorus Aonius, sic ultrà ait, ecqua voluptas  
Maior, in historias quam penetrare patrum,  
Quam penetrare tuas, & quę documenta theatris  
Alter in orbe tibi linquat & ipse tuis?

B

Sic

Sic Asiæ Magnus vigilatæ tædia noctis  
 Rex levat, annales dum bibit aure suos,  
 Nec tantum reparant hi ludi, hæc otia, mentem,  
 Regia quin etiam floruit inde salus.  
 Nam Mardocheo servati Regis honores  
 Dum memor, ut veniant, pagina lecta facit:  
 Profuit hæc Regi pietas, deprensus ut Hammon  
 In Regem inq; DEVM detegerere nocens.  
 Insuper heroas priscorum gloria mentes,  
 Cuius agunt Musæ docta vehicla, rapit,  
 Tristia ne dubitent dulci pro laude pacisci  
 Vulnera. Te stimulat Cæsar Achilles ovans,  
 Carmine Mæonio totum qui pervolat orbem:  
 Condidit historias Carolus ipse suas  
 Magnus & ex illo tu Carole Quinte Monarcha  
 Liquisti nuper pollice scripta tuo,  
 Quid præter gressus, quid gestû in tempore, quid non,  
 Consilijs fuerit quid sine fraude tuis.  
 Acris & ipse tui, si quando obrepserat error,  
 Censuræ haud parcens appofuisse notam.  
 Thucydidis monumenta tibi nocturna diurna  
 Evolvit studio pervigilante manus.  
 Maiorum potius Germanæ gentis avorum  
 Hausturo laudis facta referta bonæ:  
 Si Musis iuxtâ fælicia secla fuissent  
 Prisca, vel ut nostris æquus Apollo choris,  
 Non alijs palmam præreptum proruo, nil me  
 Effero: sum moduli conscius ipse mei.  
 Ingenijs sed cum sua nobilioribus omni  
 Sparta sit, ac nulla parte palestra vacet:

Nobis

Nobis illustri spacio decurrere stirpis  
 Hennenbergiacæ per monumenta libet,  
 Nescio quo fato Latiae non tradita luci:  
 Digna tamen linguis omnibus usq; vehi.  
 Tu modo quo stirps hæc uno connixa recumbit,  
 Ut tecum toto vivat in orbe, fave:  
 Qui Comes & Princeps simul Illustrissimus audis,  
 Imperijq; tenes inclyta iure loca.  
 Utq; tibi stirpiq; tuæ, quæ proroget ævum,  
 Inferitur per te R V T A perenne virens:  
 Ruta incrementis Macheruntidos illius instar  
 Arboreis ingens explicitura decus:  
 Sic Hedera tua circumserpere populus alma  
 Errantes patitor Magne Patrone meas.  
 Tempus erit quando meritis incensa favoris  
 Musarum plaudent templa in honore tuo,  
 Atq; Scholæ, cum forsan ero (modo vita superfit)  
 Te celebraturi pars aliquanta chori,  
 Atq; canam quæ tu docili collegia publi  
 Sustentes: pia det quanta alimenta manus:  
 Non modo qui teneris capiunt elementa sub annis,  
 Quiq; tyrocini lacte labella rigant:  
 Sed solidos queis lena cibos nectarq; ministrat,  
 Ut per eos vigeat religionis honor.  
 Qua vix Principibus, vix est magis inclyta laude,  
 Quæ fuit, est, & erit gratia grata DEO:  
 Ceu cum Centurio Romanus origine floret  
 Laudibus & laudes has Synagoga vehit,  
 Ut mereat stirpis censerî Abrahamidos, atq;  
 Christe tui vivat corporis ille decus.

Vel cum iudicij vox irrevocabiliis ibit,  
Præmia qua pietas in sacra membra feret.  
Præmia, quæ gustu quodam tibi forte senectæ  
Ista repræsentat palma virorq; tuæ.  
Sic octava tibi iam vivitur Enneas, ut vel  
Hercule vividior (Nestoris instar) eas.  
Non ita nos pridem te desiluisse quadrigis  
Vidimus atq; in equo quadrupedante vehi,  
Illustris Rutæ tua germen adoptio portis  
Inferret patrijs gaudia quando tori:  
Ut te Nobilitas posset didicisse Magistro  
Corpora durando ferre laboris onus,  
Corpora continuo venatu exercita, sive  
Armorum pulsu consolidata gravi.  
Armis parta tibi laus est florente iuventa,  
Duratur sylvis corporis inde vigor:  
Sic tamen, ut nulla Resp: lumina parte  
Deesse sibi, nulla templa scholæq; gemant.  
Tu per Teutoniæ meditullia, per tua regna  
Nil habeant fuci symbola sacra facis.  
Mite iugum, moresq; ob metretamq; vetustam  
Omnia plena vigent oppida laude tua,  
Atq; tibi precibus vitam producere certant,  
Signariq; Cedris inclyta facta iubent.  
Quæ vel nos olim melius, vel ditior alter  
Ingenio: nunc hæc cœpta favore fove:  
Inclyte fac Princeps animis clementibus adsis,  
Quod facis, atq; ultro pro bonitate soles.  
Si facilem dederis, dederis in carmina robur,  
Christus, ne dubites, ipse vocatus adest,

Com

Conscijs ille suas laudes hic vertere, laus si  
Splendescit speculis participata suis.  
Nec vero nostro nimium tua seria ludo  
Extrahimus: libri est Ilias arcta mei:  
Dum genus & proavos, dein inclyta signa recludit,  
Quæ vel cortis avis vel Iovis ales habet.  
Nec generis series monumentis eruta priscis  
Ex Aboriginibus forte petenda venit:  
Nec primo (nec enim licet) exordimur ab ovo,  
Historicamq; intra sistere malo fidem.  
Noluit ipse DEVS stirpes ab origine cunctas  
Noscer, hæc uni propria tela Silo est.  
Etsi nescio qua cunctas dulcedine stirpes  
Scire suæ fontem nobilitatis avent.  
Ergo quod volumus, faciles id credimus ultro,  
Et iuvat erroris dulcis habere duces  
Quos levioꝛe fide dignos accersimus: Eheu  
Pro verò multis fabula grata placet.  
Nos vero ne per vestigia lubrica forte  
Figamus, fida vix statione, pedem,  
Linquimus in medio, quo pondere fama sit illa,  
Hoc à Romanis quæ docet esse genus:  
Attila post Christum quatuor iam secula, seclī  
Cum semisse, DEI cœpit ut esse furor,  
Quando sinu Veneto maris urbs exordia nacta est  
Italia profugi quo subiere lares:  
Tum sparsos quorum est insigne Columna Quirites  
Hospita apud Gallos recta petisse ferunt.  
His ex Romulidis (vel si fas) Romulo Gallis  
Successu tandem temporis esse fatos,

Queis sedes in Teutonia donata sit hæc, cui  
Augurio dederit nomina cortis avis.  
Forte quod in summo dum fundamenta receptus  
Monte locant, nido est excita cortis avis.  
Non opis est nostræ tam prisca refellere. Quin &  
Hoc argumenti non satis esse puto,  
Hennenbergiacis quod Lemniscata coronis  
Candidior campo fixa columna rubro  
Obtigit ut brabium, meriti virtutis & ergo,  
Quando Brabeuta faveus Induperator erat  
Hennenbergiacis Fridericus Tertius illis,  
Quos liquet Aschachium continuasse genus.  
Tangit ab Attilico quod tempus tempore tota  
Annorum chalias si numerare iuuet.  
Næ suspecta quod hæc sit commemoratio, multa  
Efficiunt. Monachis fingere lusus erat,  
Moris erat miscere simul fanda atq; nefanda  
Naturam orbantes historiamq; fide.  
Namq; Cisalpinus si Gallis Italus unquam  
Hospes erat, tantum temporis hospes erat:  
Mox rediturus ad ingenium, fortuna reflasset  
Ut primum, cum qua statq; caditq; fides.  
Semper ob imperium cum Gallis Italus hostis  
Certat & ambitio non habet illa modum.  
Qui iunget Gallis Italos, is mulgeat hircos,  
Et Gryphes opera iunget equosq; pari.  
Sic natura parit præfagia monstra futuri:  
En regni pestes Italogalla parit  
Nec verisimile est patriæ vestigia linguæ  
Gens quod Romulidum depositura foret.  
Hennen



Hennenbergiadum malens e nomine dici  
Teutone, Teutonici signaq; ferre soni.  
Quid quod in insigni Herculeam donare columnam  
Moris erat quondam Teutonís, haud Itali:  
Vt nosset sese imperio ceu fulcra dicari  
Nobilitas, contra perfida tela Papæ.  
Quale GIBELLINI documentum nominis extat:  
Proin melius series sit repetenda retro.  
Atq; adeo potius nobis ita Roma COLVMnas  
Debeat acceptos ambitiosa suos.  
Quippe Columnenses Germana ab origine' germen  
Ducere se, Iovio dant memorante fidem:  
Qualis ab Urfinis stirps haud ingloria nostros  
Nunc ad Germanos prisca refertur avos.  
Et si quid Romæ superest, quod nobile quicquam  
Spirat, id agnoscit Teutonís ora suum.  
Tum quod præsidium Germanus origine Cæsar  
Germanum Latio ritè præesse dedit:  
Tum tot in excidijs & tot quia; cladibus omnis  
Nobilitas cecidit Roma vetusta tua.  
Quorum posteritas stirpi se accedere nostræ  
VELSIA stirps Tirolis, stirps ROSEberga negat.  
Sed coniecturis nihil hic certabimus. Esto  
Lis ea, queis magno stirps peregrina lucro est.  
Germanos à Germanis deducere certum est,  
Atq; sequi certa nos monumenta fide.  
Næ pudor est, Italos à nobis poscere stirpem  
Atq; Alemannorum velle decore frui:  
Poscere nos Italos contra ambitiosius ortus  
Et mutare aureis ærea, nota nothis,

Germanam stirpem Comitum Germana vetustas  
 Longa recognoscit per monumenta satis,  
 Hennenbergiacos Comites in honore potentes  
 CAROLE quæ perhibent MAGNE fuisse tibi.  
 Ex illa mox stirpe duo GOT EVVOLdus & OTHO  
 MERSENBurgiâci Martis honore micant.  
 VNGARicas acies ubi PRIMVS contudit armis  
 HENRicus patriæq; Imperijq; pater.  
 Annos à pugna præsens hæc colligit ætas  
 Sexcentos, lustris quinque ter appositis.  
 Ast octingentas tua CAROLE tempora messes  
 Hanc stirpem claro flore fuisse docent.  
 Vnde viginti post pugnam messibus ex hoc  
 Stemmate BOPPO sacro gessit honore pedum  
 Herbipoli. Quem dein viginti messibus alter  
 Excipit è parili sanguine BOPPO satus.  
 Quorum posterior de Cæsaris ecce sorore  
 OTHONIS fertur proditus esse nepos,  
 HENRICI fuerat quæ PRIMI filia. Quid? quod,  
 Abbas Thritthenius si gravis auctor erit,  
 Hennenbergia BERTHOLDO (chiliasq; decasq;  
 A CHRISTO fuerat) gaudet ovateq; sato,  
 Pfortshemia qui cænobium fundavit in ora  
 Cænobio nomen Vallis AMOENA DEI est.  
 Hicubi DVRLACHium NEOBVRgum & plura,  
 Oppida continuit subditiōe potens. (deinceps  
 Tempus id à MAGNO sex messes, sæcula bina  
 Vt CARLO, sic à religionis abest  
 Luce vident? vident? ut post Aurea tempora Ferrum  
 Et post Autumnos mæsta sequatur hyems

Et ta

Et tamen haud dubitemus in illa nocte fuisse, in  
Teutonica semen simplicitate DEO.  
Denas septenasque hinc Tetradas Inclytus armis  
Hennenbergiadum lux nova BOPPO nitet.  
Caesaris ille suo propugnat sanguine vitam  
Vim contra & scelus & furta dolosque Papae.  
Quippe libido superstitionis imagine fucum  
Dum mundo facit & bellaque vimque DEO:  
Idque diu (simulata diu sed denique nulla  
Stat facies) tandem prodijt impietas,  
Germanoque suo datur aspicienda colore,  
Fructibus inque suis pseudopropheta patet.  
Petra Dedit Petro, Petrus Diadema Rudolpho,  
Pontificis fuerant verba professa nefas.  
Ergo Magistratum contra periure RODOLPHE  
Arma capis, moreris mutilus ergo manu,  
Ante sacramentum quae dextra rogata dedisset.  
Res MAIESTATI fallere dura fides est.  
Foelix HENRICO Quarto pro Caesare BOPPO  
Cum cadit & calcat sanguine regna Papae.  
Clamat adhuc MELRICHstadij cruor inclytus ille  
In campis, stimulans vindicis arma DEI.  
Filius ex casta huic HILDGARDide matre creatus  
(Quae Barbate vocat te LVDOVICE patrem  
LANDgrauios tibi cui Thuringia & Hafsia debet)  
Successit, nomen cui GOTEBOLDus erat.  
Iste PALATINAM Rheni LVITgardida duxit,  
Communi quorum VESsera fulsit ope.  
VESSERA coenobium sexus utriusque monastis  
Extractum impensis, arte, labore gravi.

C

Coro

Corporis exuvias ubi, cum numeraret uterq;  
 A patrio tredecim funere iustra, locat.  
 Serior ast anno tamen ipsa secuta maritum  
 Heronia pari contumulatur humo.  
 E quibus orta licet soboles sit mascula triplex,  
 BERTHOLDUS generi sola propago venit.  
 Herbipolitani medius qui gessit honores  
 Fratrum Burgravij Francica terra tui.  
 Hoc ingens, paulo sistens vestigia Lector:  
 Hennenbergiadum mente putato decus.  
 BOPPONIS primi sterilis mors attulit HERDANO  
 Cœnobio, id pagus nominis ille tulit.  
 Cæsaris Herbipoli GEBEhardus tertia proles  
 Henrici Quinti frena tenebat ope:  
 Pontificis frustra RVCKERUS Episcopus et si  
 Auspicis & BVLLÆ bulla tumeret ope.  
 BERTHOLDUM heptadibus geminis post patria tan  
 Fata, Palestinam dum terit hospes humum, (dem  
 Eripiunt terris: Hæc fascina quando Papatus  
 Agnoscis Lector, liber ovato DEO.  
 Post hunc, cum labi vigesima cæperat ætas  
 VESSERA TROSTADIUM transit ab igne ruens.  
 Hic vitam vidua Heroïna Monastria claudit,  
 Ora Palatinam Saxonis hanc dederat.  
 BERTHOLDI gnatus patris post funera BOPPO,  
 Quarta ubi decurrens octoëteris erat,  
 Arma Palestinam sequitur reparare professa  
 Cæsaris & moriens cæpta relinquit agro,  
 Cæpta peregrino, prôch tanta relinquit in agro:  
 Trostadij sanctam foverat ante domum.

Et

Et natum, sibi qui cognominis esset, habebat,  
 Susceptum ē SOPHIA principe BOLV genūm  
 Atq; Palatinis, hæc Rheni, hæc Saxoniacq;  
 Quæ nupsere, fuit bina puella soror.  
 Quartus BOPPO genus facunda propagine planta  
 Expediit in longum posteritatis agrum.  
 Primigenus frater cuius BERTHOLDus obibat  
 Absq; hærede, sed hunc Fama perennis habet.  
 Heptadibus fælix geminis à patre sepulto  
 Qui sequitur Cæsar signa PHILIPPE tua,  
 Heros magnanimus, contra intestina moventes  
 Arma: Aquilas Aquilis quando minatus Otho est  
 Cæsareis, cum Moguntinus Episcopus & Rex  
 Ebrius Archi Papæ fraude Bohemus erat.  
 Ad te BOPPO reflecto pedem, tu Fida COLVMna  
 Imperij, sapiens atq; animosus eras,  
 Et iuxta fælix. Tecum Imperijq; tuiq;  
 Flos generis summum visus habere statum est.  
 Pontificum contra molimina, vimq;, dolosq;  
 BVRGRAVius titulos Herbipolita tenes :  
 Armato quamvis armatus Episcopus iret  
 Obvius armatis Herbipolita Choris  
 Vnus itemq; alter. Manet estq; perenne trophæum  
 Vrbs MEININGA tuo iussa subesse iugo.  
 Annus is est Christi bis sexcentissimus, addes  
 Lustra tamen si cum dimidio quatuor.  
 Messibus exactis hinc senis (Nicoleo lux  
 Sacra fuit) ductu pugna patrata tuo est.  
 Terga fugæ infelix Hermannus Episcopus arma  
 Projiciens trepidos pervolitabat agros

Henricum Comitem à Gleichovv capis, Henricumq;  
 Mars Sternbergiacum te duce morsq; rapit.  
 Ex hoc bina licet venit annis tristior heptas  
 S V V I Nfurtum vastans igne manuq; tuam:  
 (Sic etenim sic alternat Mars commoda damnis)  
 Ex semisse tamen mox soboli redit urbs.  
 Morte tua scissa est res Hennenbergica, fratres  
 Inter, progeniem, dimidiata, tuam:  
 HENRICUS senior de Saxone principe matre  
 Hennenbergiadum regna in avita venit  
 HERMANNUS vero ditionem cepit, ad istam  
 Quæ COBVRgensis dicitur usq; diem,  
 Landtgraviana tulit Comiti quem I V T T A creata  
 HERmanno (Hermannū quem Ludovice patrem,  
 Et tu quem socerum sancta Elisabetha salutas)  
 Transiit in hæredes portio utrinq; suos,  
 Intermiserunt insignia Burgraviatus  
 Herbi politani lumen uterq; patrum,  
 Quæ regina biceps avium sed corpore secta  
 Transverso & bicolor Scachia subtus erant.  
 Ast nunc Hennenbergiadum quia secta bicornis  
 Linea non una iam peragrandia via est:  
 Absolvenda prius, cito quæ defecta resedit  
 HERmanni: Frater cui BERETHOLDus erat,  
 Is maior quàm frater Episcopus Herbipolita  
 Lectus ut est, odio decidit inde Papæ.  
 Stirps exosa Papæ merito fuit ista, sed ipsum  
 Hoc stirpi multo conflat honore decus.  
 HERmanni, magnis quanquam prudentia rebus  
 Fullerit, urgebant Teutona fata tamen  
 Magnum

Magnum nomen erat magna observatio, cuncta  
 Imperio caput hunc ut propè puncta darent,  
 Hunc successorém affini dictura V Vilhelmo  
 Cuncta forent, cedant nî tibi fata Tybri:  
 Tybri tibi, ut parias iniusta piacula monstrum,  
 Antistes Christi quod benè nomen habet.  
 His quibus arcanis tabulis debetur & illud,  
 Herbipolitanus quod Papa victor abit:  
 HERmannus, Comes à Castello, Hoheloius Heros  
 Cum mysta quando conseruere manus.  
 KITZinga in campis videt hanc tristissima cladem:  
 Idus Augusti Luxea VI. fuit.  
 Annus erat bis sexcentessimus, addito senos  
 Insuper his decies: Insuper adde novem.  
 Inde tamen duplex Heptas vix finijt (Ecce  
 Fata per Ascachiaë gentis ut Heptas eat)  
 Hermannus cladem socijs ulciscitur armis,  
 Tectaq; vulcano Schvartzachiana dedit.  
 Inde super vixisset ubi unius Heptadis Annos,  
 Concedens superis mente, reliquit humum.  
 Nascitur huic BOPPO (dictu miserabile) BOPPO  
 Supremam clausit quisine prole diem,  
 Stirpitis istius per quem spes mascula partis  
 Occidit. At minus hic iam miserandus erit:  
 Vel pia facta velis animo si prendere, vel quod  
 Hæres è dulci est rite sorore nepos  
 Marchio, progenuit què BRANDëburgicus OTHO  
 HERmannum, cessit Francica cui ditio.  
 Nunc à Calce retexo caput, quia linea cessat  
 HERmanni. HENRICO cum seniore redi

In seriem Clio, Tu maxima nomina, cedro  
Digna, foves numeris, nec sinis illa mori.  
**HENR**icusq; & frater Hohenloënsibus arma  
Intulit, afficiens clade Comes Comites.  
Et quia Pontificalis habendi dira cupido  
Admovit flammæ Herbipolita tibi,  
(Quod post fenserunt Comes Orelemundius olim  
Atq; Altenstenij funera nobilium)  
**Arm**is vindicibus Schonhartum Königshofiumq;  
Schuinfurtum & **VETERES** asseruere **PETRA**s.  
Donec adegerunt sibi conditionibus æquis,  
Suinfurti ut fieret copia dimidij.  
Annus erat bis sexcentessimus, addito bis sex  
Lustra, Anno dempto, pactio quando fit hæc.  
**TECC**iaci Ducis **HER**manni de prole **SOPHIA**  
Pignora sunt illi mascula nata tria :  
(Fæmellam mitto) rursus **DIVISIO** facta est  
Hennenbergiacæ nobilis illa rei.  
**BERTHOLD**us maior natu quid fecerit, is qui  
Tempus ad hoc nostrum miserit usq; genus :  
Dicendi posthæc dabitur locus æquior. At nunc  
**HENRICI** medij perlege stemma breve.  
Cesserat huic firmis arx **HARTEN**bergica rebus,  
Cesserat & coniunx huic Kunigundis amans :  
Quæ partu sobolem dedit illi casta quaterno,  
E quibus **HENR**icum Teutonus ordo sacrat,  
**Alter** (Nam soboles fuit expers cætera Feudi)  
Ex Hoheloënsi coniuge **BOPPO** creat  
**HER**mannum primo, qui patre superstite cælebs  
E vivis (tumulum Vessera donat) abit.

Ac deni



Ac dein BERTHOLDum, cui nullo hærede relicto  
Ex solido asse hæres fit Patruelis opum.  
Bertholdus moritur, Christi cum secula septem  
Bis numerant Fasti, subtrahe lustra quater.  
Qui patrias in opes ante enneaterida certum  
Scripserat hæredem conscius ipse sui.  
Stirps media hæc cessat. Proin adsit in ordine Fratrum  
Tertius. Hæc quoq; stirps non diuturna fuit.  
Accipit Ascachias hic Hennenbergicus arces  
Sorte, vocaturq; hinc Ascachiana domus.  
Dixeris Ascaniam fors comptius ore Latino,  
In qua sopitus morte fuit placida.  
Frayvenrodensis quem cœnobiota sepulchro  
Accipit. Huic BOPPO filius alter erat:  
Commandatoris Suinfurti Teutonus, ordo  
Cui Spartam & pleno munus honore dedit.  
Filius alter erat, quem pacificatio reddit  
Illustrem, ut lites rescidit ambiguas  
Adversus patruelis opes. HENRICVS is audit  
Nomine. Schvartzburgo cui Comitissa venit.  
Dia Sophia comes vitæ, sociale levamen,  
BERTHOLDum peperit quæ pia costa viro,  
Quem Canones Mystam Pabebergæ ritè salutant:  
HERmanumq; tulit qui patruelis opes  
HARTENbergiaci, è tabulis ex asse præhendens,  
Queis tabulis Quartus Carolus auctor erat.  
Hic est HERmannus bellis qui terruit urbes,  
Fulda tuas ( Abbas bella ciebat iners)  
VVERNburgum cepit, dein cum patruelibus arma  
Conserit, in bellum pro decimisq; ruit.

Fulmineas agitans acies. Sed Episcopus arcet  
Litem interveniens hanc Pabeberga tuus.  
AGNETI GVNtherus erat Schvartzburgius heros.  
(Imperij Regem quem retulere) pater.  
HERmannum hæc Agnes fecit ter prole parentem.  
Præpositi munus VVezlariensis obit  
Natorum primus, patri cognominis. Inter  
Ethnica regna perit tertius orbis item.  
Orbus prole VVILhelmus. Ova FRIderice, propago  
Te medium generis continuanda manet.  
Hennenbergiaci HENRICI te nata GEORGII  
Filioli facit en Elisabetha patrem,  
Qui tandem patrem post fata superstes opimas  
ROMHILDI sacris ædibus addis opes.  
Fundaras ardens quas relligione IOHANNÆ  
Coniugis à NASSAV, relligione tua.  
Hæc coniux sobolem numerosam sustulit ex te,  
Septeni fratres, quina sororq; fuit,  
Qui meruere tuo FRIderice favore COLVMnas.  
Apponi priscis Cæsar imaginibus.  
Secula bis septem Christi ut numerantur ab ortu,  
Atq; anni septem sex deciesq; simul.  
Sunt qui consilium tum subijciente COLVMna  
Antonio, atq; Italas ambitione faces,  
Haud dubitent iuvenes has affectasse COLVMnas,  
Persuasi ex Itala se genus esse domo.  
Sunt alij, per quos repetitæcaussa COLVMnæ  
Est alia & cuius summa notata supra est.  
Nempe Columnnenses nunquam agnovere propinquos  
Italicos nostri voce, salute, manu.

Tanta

Tanta ē prole (vide) FRIDERICUS nominis Alter  
Istius est generis sola propago sui.  
BERTHOLDUS Fratrum maior vir acumine præstans  
Fit Moguntina præsul. in urbe sacer,  
Imperij qui Nestor & Archiepiscopus audit,  
Quinq; ter à Christo secula quando fluunt,  
Octoëterida si geminam subduxeris, ast si  
Addideris lustrum, migrat, obitq; diem.  
HERmannus sequitur, iuveni cui stamina rupit  
Parca, sed Henricum vita sacrat canonum  
Argentina, ubi Pyramidum procul æmula TVRRIS  
Visitur & regum sumptibus æquat opes.  
OTHO Murstadij residens sua tempora cælebs  
Traduxit. Gestas grande PHILIPPE pedum,  
Quod dederat Pabeberga, regas ut Episcopus agnos,  
Qui Christo ascripti nomen & omen habent.  
Septem atq; octoginta Annos ab origine Christi.  
Iuxta bis septem sæcula quando putas,  
Cum sceptro sacro vitam deponis, ut Heptas  
Lustraq; sunt vitæ dena peracta tuæ,  
Imperijq; tui Trieteris Quarta. GEORGI  
Te quoq; te Sextum provehit ordo sacer,  
Teutoniciq; meres Conmandatoris habenas,  
Ossa tua in templo arx Mergthemiana tenet.  
Ultimus ordo dedit FRIDERICO lumina vitæ,  
Arx per quem cœpit Romhiletana strui.  
Sedibus Hartenbergiacis quo transtulit aulam:  
HERmannum huic coniux ELISAbetha parit,  
Unigenam natum, quam V Virtenberga Ducissam  
Ediderat. Vitæ summa peracta viro est.

D

Annis

Annis quæ summam Fratris superare PHILIPPI  
 Visa duobus erat. Quo moriente prius,  
 Proximus annus & hunc Veterum mox colligit urna  
 HERmanno coniux Elisabetha fuit,  
 (Marchio Septemvir quæ BRADENburgicus heros  
 ALBERTVS genuit) pignora nixa novem.  
 Heu miranda DEI rerum moderatio, tantam  
 Per sobolem genus hoc tam cito posse mori:  
 Quis putet? En BERtholde ALBERteq; utrisq; ma.  
 En vobis idem mortis ut annus erat: (critia  
 In vobis idem raptis sine pignore plangit,  
 Quod simul extincta est Aschachiana domus.  
 Nil sine consilio est, nil casu, Maxime Christe:  
 Per spectacula mones nos ea, quid sit HOMO.  
 Vilis humus quod homo, quod gloria transeat orbis  
 Somnus, bulla, vapor fumidus, umbra, nihil.  
 Iusticiam monitos vis discere, quærere cæli,  
 Quas hæres capiat non alienus, opes.  
 Præsertim cæli dum regnum & curia summi  
 Iudicij est certis testibus ante fores.  
 Ultima pensa tamen reliquis absolvere pergo:  
 Accipit in Canonum ius sacer ordo duos  
 Argentinæ: ex his hic OTTHO, GEORgius alter,  
 Nomen habent. Fatis at FRidericus obis.  
 Nec maturus obis. ANNA, ELIsabetha, MARIA,  
 Ilma sacris addit vos sacra virginibus.  
 Stirpis, APOLLineam GOTfridus CIMMERiorum  
 Antiquæ, thalamis ducit habetq; suis.  
 Quinq; ter à Cunis cum secula Iustraq; dena,  
 Dempto anno, numerat, CHRistus, uterq; iaces.  
Vnica

Vnica Spes stirpis, BERTHOLDE, ALBERTEQ, fratres  
 Vobiscum & per vos Aschachiana iacet.  
 Hennenbergiadum restat pars Tertia, postquam  
 Tres inter fratres summa dirempta rei est.  
 Cui genitura prior primas dedit, ultima versu  
 Texitur ad nostros continuata dies.  
 BERTHOLDUS fratrum, queis cum Divisio facta est,  
 Maximus, e Sophia, qua Comitissa fuit  
 SCHVVARzenburgiaco de stemmate, sustulit, uno  
 Nomine, BERTHOLDOS, dispare sorte, duos:  
 Cum Iutta: Geminus quam Marchio, Misnicus ille,  
 Hic Brandenburgiacus deinde maritat OTHO.  
 Absentem caris arisq; focisq; parentem  
 Gallia BERTHOLDUM cernit obire diem.  
 Secula cum bis sex octoginta insuper annos,  
 Christus habet, corpus Vessera claudit humo.  
 Natorum BERTHOLDE prior PRIOR ordinis inter  
 Magne Iohannitas, Sarmata quosve duplex,  
 Quosve Bohemus habet, quos Austria, quosve Mora  
 Et commandator Schleusinegensis eras. (vult  
 Alter BERTHOLDUS generi ceu Lampas & astrum  
 E caelis visus promicuisse suo,  
 Caesaris HENRICI, (qui nomine Septimus illo  
 Audijt) auspicijs atq; favore viget.  
 Magni animi simul & prudentis pectoris ille  
 Infert in stirpem nomina clara suam,  
 PRINCIPIS illustres titulos, illustria signa,  
 Quos Electorum consona puncta dabant.  
 Vrbs, quam FRANcorum Vada, Traiectumq; celebri  
 Emporio vocitant, clara theatra videt,

Quinq; decemq; dies cum Iulius egit & essent  
Iam Christi tredecim secula & una decas  
In precio magno tribus hic ex ordine semper  
ALBERTO HENRICO, dein LVDOVICE tibi  
Cæsaribus, mox huic postremo Affinis & auctor  
Consilij arcani re graviore fuit,  
Assiduusq; Comes. Iure ergo immunia iura,  
Quæ Bulla obsignans aurea munit, habet.  
Plurima iura, COBVRgiacasq; recuperat omnes  
Fortunas, prisco restituitq; loco.  
BRANDENburgiaca quæ sub ditione fuere  
Annos, quot Latij sunt Elementa notis.  
Henricus prius ac transiret Septimus alpes,  
Custodem nato tradidit esse suo,  
Præsule cum Moguntiaco, cum præfule Fuldæ,  
Bertholdum hunc: Tantum nomen honosq; fuit.  
Cæsareum næ pignus & isti subdita regna,  
Regna Bohemorum cura fuere gravis.  
Cura labore simul, simul omni plena periclo:  
Omne gravis regnum sollicitudo premit.  
Nomine Ludulci mox Brandenburgica gessit  
Proprinceps fida sceptrâ, vicesq; manu,  
Cæsaris, ad tempus, multa cum laude: marito  
Dein nato iussus conciliare toros  
Cæsareo nato (Ludovicus Marchio natus  
Hic erat & natus vix bene lustra duo)  
Trans mare Christophori Danorum Filia Regis,  
Fecit, ut iret ovans ad sociale iugum:  
Deniq; quos Superum norant ea tempora cultus,  
Hic Divis struxit multo in honore domos,  
Magnificis

Magnificasq; adiunxit opes: sitientior illo  
 Nemo DE I fuit hac religione sua.  
 A fundamentis & ERHARDO &, qui fuit alter,  
 Struxit is AEGIDIO prædia, templa, choros.  
 Testis es hic sobolem pia nunc collegia vero  
 Vrbs Schmalcalda DEO fatificare videns.  
 Atq; ut posteritas nova PRINCIPIS ornamenta  
 Rite tueretur depositumq; novum:  
 Cavit ut ex omni penes unum summa potestas  
 Dehinc esset numero, summaq; tota rei.  
 Filia Landt Grauij coniunx ADELHElda (nepotem  
 Quem sancta agnoscens Elizabetha vocat,  
 E nata genitum) quina illum prole parentem  
 Reddidit: HENRICum fert genitura prior,  
 Lege iubens sceptris patrijs succedere: prole  
 (Sceptra finit fratri) dum mare cassus obit.  
 E Brandenburgiaca tamen idem principe natas  
 Sustulerat, matrem Saxonix procerum,  
 Electoratus quibus est hoc tempore, Matrum  
 Heroïna decuste CATHARINA loquor:  
 VVIRTENbergiaco Comiti altera nupsit Ebrardo  
 ELISABETHA: Venit tertia ducta toris  
 BVRGgraviij NORIbergensis, quæ dicta Sophia est,  
 Burggraviij Albertus nomen habebat ovans.  
 Mascula primigeno sed enim cum nulla fuissent  
 Pignora, successor sceptris IOHANNES adit.  
 Antea qui meritis stipendia Regis in aula  
 Danorum OTHONIS nobilis hospes erat.  
 Nactus sceptris: Coburgiaca ditione recedit,  
 Ut Fratris viduæ sint alimenta sui,

Sed viduæ Generis ditio retinentibus hæsit,  
Nec, pia cum magno robore certat avis.  
Languida cortis avis tabulis dum Cæsaris hæret:  
Erepta plagam devorat æqua plaga.  
Tertius ex illo Bertholdus cum **LVDOVICO**  
Ordinibus sese dedit usq; sacris.  
Ille Iohannitis per Schleusingensia rura  
Commandatorem gessit honore facer,  
Præpositum Canones hunc per Madeburgica templa  
Agnorunt. Soror his Elisabetha fuit.  
**BVRGGRATIO** Noribergiacæ quæ nupta Iohanni  
Non est in numeris dissimulanda meis.  
Sic igitur stetit Hennenbergia prole Secunda:  
BERtholdum coniux cui LISAbetha parit  
Leuchtenbergiaca, **HENRICO** qui cessit habenas  
Post genito, Canonum deditus ipse sacris.  
**HENRICUS** Scutis insignia Burggraviatus  
Prisca refert, ne sis sola ita cortis avis:  
Herbipolitano cum præfule belligeratur,  
Dum **MEINBERGA** petit vindicis arma sui.  
Schleusingæ fundat Xenodochia, fundat honorans:  
Et tutelarem te **CHILIANE** vocat.  
Atq; **CENOTAPHIUM** monumenti imitamina sancti  
Schmalcaldi socia coniuge constituit.  
Is moritur quando bis septem secula (Iustrum  
Addito) Christiadum pagina ritè putat.  
Annorum ante pater decesserat heptadas octo,  
Bisfextam ut messem à fratre superstes erat.  
Frater **BERTHOLDUM** post heptada' rite parentem  
Qui sequitur, Sed nec forte tacenda soror

Vtraq;



Vtracq; sit. Thalamis concessit nupta IOHannes  
 Ascaniæ princeps ELISabetha tuis.  
 Te Comitem Gotfridus Hohenloënsis adoptat  
 ANNA Comes, vitæ præsidiumq; suæ.  
 HENRICI sed iam repeto vestigia. Liquit  
 Post vitæ thalami pignora quinq; sui:  
 Coniuge de MECHTilde, cui primordia vitæ  
 Marchio Badensis clara RVDOLphe dabas:  
 MARGARIdem Schvartzburgiacus Guntherus &  
 GLEVCHlus accipiens Ariovistus habet: (inde  
 Annamq; Heidecco Domino quæ nupta marito est:  
 EVCHario tenero stamina parca scidit:  
 Tu Domini ASCHAchæ FRIDerici, nominis eius  
 Primi, nupta toros Elisabetha capis.  
 His intermedius GVILhelmus stemmatis Atlas  
 Et columen, CYPRI contumulatus humo est.  
 Affectârat humum sanctam qui cernere, Cypri  
 Non profectura concidit ille via:  
 Bis septingentos viginti quattuor Annos  
 Temporis in serie tum numerare fuit.  
 Brunsvichio Luneburgensiq; oriunda Ducatu  
 Huic ut in thalamos ANNA, superbit Hera  
 Quina reddidit soboles hinc rursus: scilicet ANNa,  
 Quæ VVeinsbergiaco tradita nubit Hero  
 CONrado, prius hæc virgo sacra: Margaris inde est,  
 VVECHTERSvvinckelij quæ Monialis obit.  
 Tuq; dein istoc gaudens GVILhelme Secundus  
 Nomine, quod te stirps continuanda manet.  
 Posterior natu clavis HENrice regendis  
 Exclusus gaudes ordinis esse sacri

Herbipoli, quæq; urbs stat prisca Colonia: Nato  
Defuncti tamen hinc Fratris acerbus eras.  
Ultima perteneris ADELheidis flosculus Annis  
Demetitur. Lucem vix ubi vidit, obit.  
Ex his ut rerum GVILLIELMUS rite potitur,  
HAVNI arcis superans mœnia, victor habet,  
Reinhartocq; arcis Domino cum prole potitus  
Hunc Schmalcaldiacæ clausit in arce domus.  
A sue sylvestri (victoria quando biennis  
Spirat adhuc) iectus fata polumq; subit  
Cum seclis septem bis quadragesima quarta  
Mensis erit Christi, fata ea quando subit.  
Hanoviana cui quinis Catharina marito  
Partibus ediderat pignora quina Comes!  
Quos breviter libeat sic enumerare. IOANNEM  
BERTHOLDumq; sacrae corda dicata rei.  
ABBAS FVLDENsis quorum alter quattuor Annis  
Prævertit fatis orsa Luthere tua:  
Alter, cui Canonum leges Pabeberga dedisset,  
Cumq; Argentina sacra Colonia dæ:  
Maturus magis excessit. GVILLIELMUS ab illis  
Nomineq; & serie Tertius inde venit.  
Margaris huic Ducis Henrici Brunsvickia nupsit  
Vnica nata: pias sumsit & ipse vias,  
Viseret ut Petrum, quiq; heu mutatus ab illo,  
Auro, non docta sanctus ab aure Papa est.  
Ast ea religio mentes tum lava tenebat,  
Ut coleretur adhuc religione locus,  
Tanquam devinctum certis stationibus esset  
Numen & offerret sanctior ora preces.

In qua

In qua vel Pauli vestigia sancta stetit,  
Vel sacra gessisset sceptrum pedumq; Petrus.  
Da veniam lector, vitulis si dixero binis  
Esse locos, Solymum Romuleumq; pares.  
Nam velut Israël cultus distractus in ambos  
A neutra redijt religione satur:  
Sic modo cum Solymi erroris graviumq; laborum  
Riderent medicam vulnera mentis opem:  
Illicet ad tua concursus est solatia Roma,  
Tanquam plus præsens conditione loci,  
Tanquam Christus adhuc terris quærendus in una  
Sede sit, eq; alto non sit ubiq; potens.  
Sed redeo & cœptam præsentior urgeo telam,  
Ne vitis sit fors semiputata mihi.  
ERNESTVS Comitum ascierat Septemvir in istam  
Saxo viam. Roma mors reducem superat.  
Vespera, post quinos Annos de mole refosso  
Botzenij, patria corpora condit humo.  
MARGARIdis, soror vtraq;, eodẽ nomine dicta est:  
Hæc SCHVVRTZburgiaco nupsit at illa cho  
Addita virgineis Ilmæ sua tempora clausit: (ris  
En quæ fax habuit religionis avos.  
Gentis habet series GVILIELME ita tertie Princeps  
Quintuplicisq; simul prolis honorq; tuæ.  
Bimulus ad patris Guilielmus funera Quartus  
Successit flos & præsidium generis.  
Namq; impuberibus Fratres mors sustulit Annis,  
Quos lux aspexit, quos genitura prior.  
Te GVILielme puer, VVOLFgange, Ernesteq;, teq;  
BOPPO, quibus thalamos ante venit tumulus.  
E Proin

Proin ut te GVILlisme canam, prius euge Sororum  
Nomina per numeros accipe ritè meos.  
Cœnobio Catharina merens V Valringvverodensi  
Immoritur: vitæ in limine HELena iacet:  
MARGaridem, Christi sesquimillesima quando  
Mensis init (messes demseris hinc quatuor)  
SOLMensis Bernharde Comes, Comitiscq; PHILippi  
Præsentis genitor, ducis honore thori.  
Iam GVILlisme redi. Te à pube Palatia Rheni,  
Heydelbergensis te fovet aula diu,  
Et cunis alit à teneris & pectora nutrit  
Fortia. Proin retines hæc benefacta memor.  
Ceu nutrita diu quæ grata Ciconia gratum  
Pensat opus, gestans rursus alumna patrem.  
Sic, pia dum sequeris patroni signa Ruperti,  
Grande Tyrocinium ponis in arma ruens.  
Victor abit tecum caussa meliore Rupertus,  
Cui simul innocuo iustq; Deusq; favent:  
Fulmen Pontificis quem, quem proscriptio magnis  
Heroëm urgebat Cæsariana malis.  
Victor abit tecum caussa meliore Rupertus,  
Et clemens capto protinus hoste fuit:  
Dum vastatori mensas sine pane ministrat,  
Quingentas messes ter quatuorq; putans  
A Christo. Messes sex ante, Tragedia mota est,  
Comica quam facies texit Idolatrica:  
Rapta inopinató fanatica turba per agros  
Ad statuas Fatum Grimmet halense tuum,  
Effuso cursu per saxa per avia fertur,  
Magno argumento roboris Hydra tui:  
Quidq; queas serpens veterator, luce remota,  
Atq; Heros tua quis fortior arma premat.

Arma, dolus, vis sunt. Methodo DEVS illa retexit,  
Atq; tyrocinio munit ad alta viam.  
Vim vincens & paucorum virtute triumphans,  
Inde domans VERBO sphinga dolosq; malos:  
Quando invisibilem Goliathum animæq; Tyrannum  
Per tua lactentis tela LVTHEre ferit,  
Atq; effundit humi Cyclopem & vertice mulctat,  
Virgineisq; Lyræ dat nova plectra choris.  
Laus tibi Chrïste David, per te vis victa Cerastæ  
Atq; Orci Galea est, præstigiæq; ruunt.  
Per te iam Proceres nutricius unus & alter  
Zioni laxant claustra serasq; tuæ:  
Vberaq; immulgent rorantia: Grandior annis  
Hennenbergiadum nunc uti scepra gerens.  
Cuius & haud dubito, Genitor quin talibus orsis  
Viderit & tanta nobile luce iubar.  
Quippe repurgari cœpti post lumina Verbi, ut  
Farra merit decimus septimus Annus, obit.  
Is GVILhelmus Anastasia fert coniuge (coniux  
Quæ BRANDburgiaco nata parente fuit,  
Isq; erat ALBERTus septemvir) pignora dena  
Cum tribus, in seriem quæ modo MVSA canet:  
Primigenus GVILLiellmus & Anna (Triennis at ille:  
Annicula hæc) uno tempore uterq; perit.  
Annus erat Christi ter quingentissimus atq;  
Tertius. Hoc & tu lumina IANE capis  
Tertia progenies, Te Abbatem FVLda salutat  
Inclyta. VVOLFgangū glans Pedemonte necat,  
Quam tormentali iaculata est fulmine canna,  
Virtutis magno canna reperta malo.  
At VVittigstenio Comiti te MARGaris arra  
Copulat in nullos dissoluenda dies,

Te

Te Catharina Comes thalamis HENricus adoptat  
 SCHVVartzenburgiacus, costæ in honore locās.  
 Christophorus thalami Römhildi concidit expers.  
 Iam video portum: iubila Musa cie.  
 Octavum te pango GEORGI ERNEste: tuas se  
 Musa dat in laudes, utq̄ sit apta, faue.  
 Ingenio fateor præconia digna Maronis  
 Hæc tua, vix nostro dicier ore volunt:  
 Sed tamen ingenij vice sit tibi prompta voluntas:  
 Forsitan auxilio tempus & usus erit.  
 In primis Christi de vertice spiritus in nos  
 Qui venit, auxilium protinus omne feret,  
 Nunc vultusq̄ tui ducetur linea tantum  
 Nam brevitatis odit carminis ista moras.  
 Lux tibi natalis fulsit lætissima, cum Sol  
 Ter novies Maio mense peregit iter.  
 Annus erat Domini ter quingentesimus, huic si  
 Annos addidero, quot tibi Christe viri,  
 Quot tibi Christe manent Comites ex morte reverso,  
 Vnus Apostolico de grege cum perijt.  
 Seu quot sunt Soles, quibus nobilis orbita Phæbi  
 Lunares Annos exuperare solet.  
 Elisabetha tuis Thalamis prior inclyte Princeps  
 E BRVNSuicensi stemmate ducta fuit.  
 EIVSdem Thalamos nunc altera Nominis ornat,  
 VVIRTenbergiaca nata Ducissa domo.  
 Ista quidem, famæ siquidem par credere, vultu  
 Ac facie Veneres anteit & Charites:  
 At mores dotesq̄ animi, pietatis & ardens  
 Quis studium, vel quod pinget Apellis opus?

Vive

Vive diu Princeps, quemq; haectenus alma potestas  
Hennenbergiadum stat penes, esto diu:  
Vive diu, viridansq; senecta vigore perenni  
Hæc tua Phænicis secula vincat avis:  
Donec odora tibi stratura cubilia RVTa est  
Saxonis, ut Phœnix, unde novandus eris.  
Non modo fatales Magnus tibi Carolus annos  
Gratatur novies scilicet octo suos,  
(Nam tot habes annos, Princeps memorabilis, ævi)  
Quin spondet plures aut tuus iste vigor  
Corporis: aut pietas, qua Christū & membra coronas:  
Proq; tua quæ sunt vota salute pia.  
Multa tuæ stirpi dedit ornamenta, sed omnes  
In te largus opes fudit ab axe DEVS.  
Non secus ac ramos effata datura quieti,  
Luxuriat pomis arbor opima prius.  
Sic, quàm deficiat veteris tua Christe peculi  
Gloria, quàm mundus per sua fata ruat:  
Posterius templum multo conspectius ante  
Fulget & in toto iam micat orbe DEVS,  
Iapetionidis per Teutona regna ministrans  
Omnia, quæ mundo summa fuere, simul.  
Sic octingentos tua quæ stirps nobilis annos  
Floruit atq; hominum per monumenta stetit:  
(Ceu sunt imperijs fatalia stamina, ceu sunt  
Stirpibus) occidua quam tumuletur humo:  
Ante tibi stirpis Princeps generosa propago  
Ultima, tot data sunt, tot cumulata bona:  
Ætatis spatium longum, experientia longa,  
Ut sis ceu mundo testis utriq; Noach.

Non utar Musa servilius: auribus hæc ne  
Visa sit, haud vereor, velificata tuæ.  
Qui pius est, fieri cæco nihil impete, cernit:  
Atq; atomos damnat turba profana tuos.  
Atq; hic quod fit, idem fieri non numine nullo,  
Exigit exemplis ad rata scita DEI,  
Sic poscit pietas animi: sapientia sera est,  
Quæ noscit, postquam desperiere, bona.  
Sed dum proventu dat messes ubere tellus:  
Venturæ occurrat provida cura fami.  
Nuncia quid iuvat explorare crepuscula Cæli:  
Temporis & nulla signa videre sui,  
Christus ait. Nobis signum est, quod visit ab alto  
Nos DEVS & dat ceu sidera Luciferi:  
Dat Proceres rerum miris ornatibus auctos,  
Fulgentes Sophiæ luce potente sacra.  
Quiq; fuit notus vix & vix Christus avorum  
Tempore, solliciti quem cupiere patres,  
Quem gemuere patres aurora posse vel una,  
Cernere: toto is quod spargit in orbe diem.  
Hennenbergiaci vix & qui montis ad imum  
Ante sedet Musis cinctus Apollo novem:  
Nunc tenet eiusdem montis fastigia, clarus  
Ora, Scholarcha, supra quem pater ipse sonat,  
Nunc Gentiliæ vocat Hennenbergia pullos  
Instar Gallinæ sub sua tecta tuæ,  
Et facit ut Princeps Generosus & inclyta princeps  
Sint nutricantes, sint alimenta scholis:  
Luceat in cætus ut Lux utriusq; fideles,  
Ut patris hinc superi glorificetur honos,

Vivite



Vivite fœlices, ô inclyte & inclyta Princeps  
 Vivite. Nos series continuanda rapit.  
 Ecce soror Dosithea GEORGI ERNESTE secuta  
 Natales anno posteriore tuos,  
 Victima fit fati, valde illa puella: sed alter  
 Annus habet partus limina BOPPO tui.  
 Quem quanquã bigamum, tamen haud Lucina parens  
 Vidit, erat thalamis ELISABETHA prior, (tem  
 Iuncta, cui Brandenburgensis Marchio vitæ  
 Auspitiū dederat: deinde SOPHIA fuit  
 BRUNSVICHIO Lunburgensiq; creata Ducatu:  
 Neutra tamen sobolem donat habere tibi.  
 CASPARVM post interiecta biennia mater  
 Edidit, huic iuveni filia scidit Lachesis:  
 Proximus hinc annus VALPURGIDA mittit in auras,  
 Quæ nata octodecim nubet HOHENLOÏCO.  
 Bis septem hinc annis CAROLUS GLEICHIIUS illam  
 Ducit & uxoris donat honore Comes.  
 Intererat vix annus, ut edidit ELISABETHAM:  
 Tam largo mater commemorata toro.  
 Vltimus is fœtus fuit, hæc quæ nupta IOHANNI est  
 REIFFERSHEITENSI ac SALMIACO Comiti.  
 Annos ter septem bene cum matura marito  
 Nata foret. Ripas claudite nunc Pueri.

E 4

Insignis



# INSIGNIA GEN

TILICIA ILLVSTRISSIMÆ atq; anti-  
quissimæ FAMILIÆ HENNENBER-  
gicæ, cum expositione reconditarum  
in symbolis Diuinarum & verè  
Philosophicarū paræneseωv.

**A** Dripas ventum est. Cerno Iunceta: Tiarā  
Per galeæ, geminas surgere cerno Typhas  
Per galeæ alterius. Nam sacro Cassida scuto  
Imminet, ut dignū est Principe gente, duplex.  
Musa tuos iterum nobis ostende favores,  
Et gentilitijs ede reclusa notis.  
Incumbit Clypeo perlustris cassida duplex,  
Ardua transversis septa per ora clathris,  
Nobilium gestamen. Habet Mitram altera sultam  
Pelle Zibellina, cum geminisq; Typhis:  
Altera dimidia cum virgine læva coronam  
Gestat: at hæc manibus brachiolisq; caret  
Virgo, columellam gestans in vertice supra,  
Quam diadema & in hoc cauda Pavonis habet.  
Mucronatur enim fastigia in arcta columna,  
Ceu solet artificum surgere pila manu.  
Quadrifidum clypeum per longum linea, perq;  
Transversum, secuit quattuor in spatia.  
Dextrū, quod sursum est, quodq; infra in calce sinistrū,  
Ales ovans lovius dimidiatus habet.  
Dimidiato illi spatijs bicoloribus infra est  
Schacchia, in hac cretæ est hinc color, hinc Minijs.  
Eregione

E regione decussatim spatium illud & isthoc  
Mons capit, atq; in eo vertice cortis avis.  
Tectius hæc quid signa velint, ænigmate docto,  
Hic labor, hic operæ Musa venit precium.  
Sint alij, quibus ingeniumq; & tempus abundat,  
Nos urgens spatium claudit utrunq; brevi.  
Da veniam Lector, quem nostra sagitta minata est,  
Si minus attigerit sæpe & ubiq; scopum.  
Qui bene conijciat, vates hic optimus esto:  
Hic licet hoc equidem, sicubi forte licet.  
Cassidis ad dextræ mitratæ tempora duplex  
Flumineî calami forma genusq; Typha est.  
Pacis Mitra decus: Virtutes pace Togaq;  
Et legum princeps induat arma prior:  
Quam ferro quam Marte gerat rem vindice: clemens  
Sit fragili, fragilem se memor esse, reo.  
Esse memor fragiles, calami fluviatilis instar,  
Mortales, clavis utitor astibus,  
Aures hinc illinc quarum vox insonet, usq;  
Advigilans quod sis (γυῶσι σεαυτὸν) homo.  
Hæ clavæ plus Herculeis fera monstra domabunt,  
Quæ Proceres adigunt ad grave sæpe nefas.  
Talibus en clavis dat Morio nomina iure,  
Quas nescit qua sint conditione, furens,  
Ludibrium plagasq; ferens: at Morus ut arbor.  
Sic adversa gerent omina nominibus,  
Si sapiens nôrit sua quam citò sceptro fatiscant,  
Non temere incurrens in fragiles fragilis.  
Herbipolitanus laudatur Episcopus ille,  
Quem sicaria glans sustulit, ausa nefas.

F

A Sycos

A Sycophanta cives sacra pura professos  
Supplicio iussus dedere lege Papæ,  
Supplicio capitis tandem sic ora resoluit :  
Res, si cancrorum res ageretur, erat  
Hæc facilis. Cancris pro forcipe nascitur alter :  
Non ita suppletur, quod cadit ense, caput.  
Ille papavereis tacito qui stragibus ore  
Signa dedit, cædes admonitura patrem,  
Tarquinij soboles, quam sit proclive nocentem  
Esse, docet: Miser ast exitus acta notat.  
Heu mihi quam præceps occidit Frater Abelum,  
Quam facit ira diu pænituisset brevis.  
Ergo bene capiti, velut amuleta furoris  
Aptabit, qui fert sceptrum severa, Typhas,  
Fert monumenta feræ domitura Typhoëa mentis:  
Ambitiosus apex esto alijs alius.  
Hic popularis apex magis est & principe dignus :  
Qui princeps animos edomat ipse suos,  
Non alia virtute magis sapientis honorem  
Nominatq; Elector Saxo Fridrice meres.  
Hæc, quoties circum præcordia ferveret ira,  
In thalamos iussit te penetrare tuos.  
Aureolis sese frænis sic vincere Achilli,  
Cætera victori, Pallas amica dedit.  
Est etenim regnis clementia nobile vallum:  
Nulla manet florens vis violenta diu.  
Adde quod hic calamus, stagni quem protulit ulva,  
Terra perfruitur perpete, perpes aqua.  
Optima temperies rerum est, seu deserat unda  
Scirpetum, refluxis seu rigeat illud aquis.

Sic

Sic calamo perlene caput lanugine molli,  
 Ast folio carex ensis acuta modo est.  
 Diversis eadem res significatur in umbris:  
 Conspiret gravis ut cum pietate rigor.  
 Dein, quamvis iuncus medijs circumfluit undis:  
 Attamen interior sicca medulla manet,  
 Instar spongiolæ manet, in corrupta madore:  
 Sic habet is, quem non copia laxat opum.  
 Iustitiæ Pharao contemptor rebus opimis  
 Affluit, ut nimis canna palustris aquis.  
 At dum se nescit, dum fluxo torpet honore  
 Ebrius: ut calamus præcipitatur aquis,  
 Obruaturq; mari, calami cui copia nomen  
 Fatidicum fecit, non sine sponte DEI.  
 Scisset is, in calamo Natura magistra theatrum,  
 Vilibus inq; Typhis dogmata quanta vehat:  
 Scilicet, haud cannae ventis agitabilis instar  
 Ludibrio numen sic habiturus erat,  
 Nec quo fors fortuna ruit, mox pondere cæco  
 Arbitraretur vergere numen inops.  
 Ipse sibi Moses si condere symbola vellet,  
 Fiscellam & calamos pingeret hosce, reor.  
 Fiscellam, mater puero quam texuit, alto  
 E maris in portum quæ ratis instar erat.  
 Tum quia diversæ monumentum sortis hic idem  
 Iuncus, in exitium præcipitante Pharo est.  
 Res proin ut tenuis, res sit vilissima iuncus:  
 Non tamen est tenui gratia nulla rei,  
 Nulla sophia. Quid? Hyssopus Solomonis in herbis  
 Ultima? Phlegmones nonne medendo leuat?

Corporis ardores, ideoq; ardentibus aris  
Sacrificio DEVS hanc iussit adesse typo.  
Haud secus id genus hæc quanquã fluvialis arundo est  
Spreta, per hanc fervens sentiet ulcus opem:  
Vt maturatis citius cruciatibus, omne  
Expuat ægra caro sponte doloris onus.  
Non indigna proin, quæ mitram Iudicis ornet:  
O quantum latet in simplicitate decus!  
Quid, quod utrasq; aures & tempora propter arundo,  
Nonne aures parti poscit utriq; pares?  
Et quid? quod mitram cassis fert una, coronam  
Altera, quæ nudum circuit usq; caput:  
Hic iterum sit fas tua nos oracula Princeps  
Et dux veridici consuluisse chori.  
Per te pontificem sacra pagina vertice nudo  
Esse: tegi contra te Nasarene vetat:  
Te Nasarene iubet redimiri tempora ferto,  
Vtq; coronato sit coma nuda, iubet.  
Cæsarie nuda sic Cyrus, Persicus & Rex  
Omnis, & arma subis Absolon ipse quotq;  
Cæsaries quem nuda volatilis implicat alno,  
Vt pendens telis transadigare tribus.  
Cæsarie nudum, qui Romam terruit urbem,  
Arminium referunt conseruisse manus.  
Esse Sacerdotem quondam simul & simul armis  
Muniri Regum pectora, moris erat.  
Id galeæ duplices habitu voluisse videntur  
Diverfo. Sed & hic vindice nodus eget:  
Vinctus uterq;, gerens diadema, quid alter apertus  
Vertice sit, tum cur alter opertus eat,

Magne

Magne Pater vatum, tibi sunt ænigmata, Moses,  
Nota, tibi penitus mystica sensa patent.  
Mystica. Nam quoties rude consulo vulgus: apertum  
Mysta caput, tectum Rex habiturus erat.  
Rex, acies inter qui belli & magna pericla  
Fertur & est columen, cardo, caputq; rei.  
Hic Mosis da Musa iubar, da lumina: culmen  
Dum petimus Sophiæ per penetrale sacræ.  
Neue petas procul hæc: præsto est interpres & umbris  
Qui perhibet lucem per sua facta λόγος.  
Pontificis summi pariter, Regisq; Monarchæ  
Vnus Christe decus cælitus unctus habes,  
Et quando spiras tua balsama vertice nudo:  
Vnguinis & quando tectus oliva premis.  
Nempe timor Domini moderatur honoris odorem,  
Nec, nisi cum poscit gloria patris, ovas.  
Sic lucere iubet meritis pietatis ad ora  
Nos hominum patrius quo celebretur honos,  
Et rursus, nostro ne velificemur honori,  
Dissimulare bonum, si quod agamus, opus.  
His adeo augurijs atq; hæc exempla ministrans  
Christe, premi tua nunc facta stupenda iubet:  
Nunc versa vice Cæsariem Rex promissis alumnis,  
Quam super in Paphia depluit unguen ave.  
Quam super è cælo resonant præconia patris:  
Natus hic unigena est, hunc colitote, meus.  
Idem tu simul & descendis vertice montis,  
Ut petra te Petrus confiteatur, aves:  
Atq; idem, veniant dum tempora iusta, latere  
Præcipis hæc lucis mira theatra tuæ.

Exera

Exercenda monens sit uti patientia, quando  
Successum noster non habet usq; labor:  
Tempore quando suo DEVS incrementa reservat:  
Quando venit meritis gratia tarda pijs:  
Quod toties Christum defraudat honoribus orbis,  
Quodq; impune latro fert scelus, ille luit.  
Præmia virtutis missus de carcere Latro,  
Tuq; Latrocinij præmia Christe refers.  
Fers patiens tamen & ceu sub velamine mitræ  
Fers patiens, meriti quod manet intus odor,  
Pressaq; dormit odora tuæ quod debita famæ  
Gloria, iustitiam quod premit hora tuam.  
Ingrati populi multos fastidia cogunt  
Iam prope perfectum linquere laudis iter.  
Ergo Cæsariem qui Solis gestiat instar  
Conspicuum terris omnibus esse suam?  
Cogitet is, quod sit Crocodilus gloria & ipsum  
Qui prensant fugiens qui fugiuntq; sequens.  
Dixit Alexander, benefacti conscia ferre  
Corda, audire male, regis id esse boni.  
Quo caput ingrati benefactis amplius ornas,  
Hoc magis ut prunis usseris atq; magis:  
Ad vivum donec penetret Vulcania virtus,  
Et feriat sensus deniq; flamma pigros:  
Tum tibi thura tuæ redolebunt suavia prunæ,  
Et post Factorem gratior ibit odor.  
En vel damnatus media iam in morte Sacerdos  
Magnus ut officij sit memor ille precum:  
Quarum vi vitæ de cælis impetrat auram  
Hostibus ecce suis propitiumq; patrem.

Per



Per sua quo capiat piscator retia felix  
Cœlitus indutus millia terna Petrus.  
Tandem vis veri, tandem bona causa triumphat,  
Tandem pro meritis gratia digna venit.  
Ut iam ceu servi, sed quos emancipat unus  
Hic vindex, capiti pilea quisq; gerat.  
Id quod forte mitra tereti sub tegmine tegmen  
Scilicet Augurij pontificale notat:  
Ut diadema notat regale, quod inde coronam  
Hoste triumphato, quod sacra sceptrata ferat:  
Per diadema tamen vertex ut nudus Olympum  
Spectet & aspiret gloria cuncta patri,  
Qui dedit auspitiū Maiestatemq; tremendam,  
Et Regi vindex præsidiumq; fuit.  
Res miranda: minus nunquam se vertice nudo  
Sensit is, ac nudus vertice quando fuit.  
Et cum Lama Sabac̄thani cælum omne sonabat,  
Præsentem Elohim non habet ille magis.  
His adeo augurijs atq; hæc exempla secutos,  
Spes omnes contra, spes alat una, pios,  
Nudi præsidij, ut præside Numine solo,  
Se portaturos clara trophæa sciant.  
Nec vero quisquam læva sic mente putabit,  
Ad regnum hæc modo sint quod referenda poli.  
Aula forumq; etiam (veniam da candide lector,  
Si loquar ut nostro tempore Iura solent)  
Hinc sapit. Amplius erit nemo, mansuetus is idem  
Ni sit, ni taceat quod bene fecit opus,  
Supra omnes quamvis humilis mitisq; Sacerdos  
Et Rex Christus erat: Non tamen unus erat,

F 4

At

At licet hic idem mortales anteit omnes,  
 Angelicosq; supra fert diadema choros.  
 Parte tamen regni gaudebit, quisquis in ulla  
 Sorte ministravit non sine laude DEO.  
 Hennenbergiadum prius illud mitra docebat,  
 Grande Senatoris Pontificisq; decus:  
 Hoc at eorundem diadematis altera cinctu  
 Regalis, monitum significanter habet  
 Cassida, quam supra pro cono casta virago est,  
 Cui dicas ardens, tu mihi sola places:  
 Cui soli placuisse velis, quæ sola beatum  
 Te facit, in rerum Rector Adame penu.  
 Quæ tibi non manibus, sed casta ventris in alvo  
 Effingente DEO, pignora viva ferat.  
 Hoc est præsidio manuum quòd trunca suarum  
 Virgo, viri gaudet tutior esse manu.  
 Vir rursus gaudet (sibi quod natura negarat)  
 Dulcia per costam pignora ferre suam:  
 Pignora, quæ fiant senibus patriæq; patriq;  
 Scipio, sintq; velut saxea pila domus.  
 Nam sonat Hebræis & PHVL & Filius olim  
 Pilam, qui pilæ scilicet instar habet.  
 Pignoribus proprijs, & amicis quos sibi quisq;  
 Ascivit meritis floret ouatq; domus.  
 Est aliena fere semper suspecta fluensq;  
 Et cum fortuna statq; caditq; fides.  
 Causa Gibellinis fuit, hæc quoq; nominis: & cum  
 Effet adhuc Italis lingua Latina decus,  
 Iste Columnarum tituliq; & imaginis usus  
 In gentilicio summus honore fuit.

Germa

Germanis, quando virtus spectata fidesque  
Iam magnis rebus digna putata fuit,  
Cui mandaretur curanda provincia: quoque  
Nitatur fulcro publica rite salus.  
Induperatores ergo de Teutone gente  
Proreges tali voce dabant Latio.  
Non aliter quam cum, Regis qui Scipio Gallis  
Dicitur, est Regi proximus ille gradu.  
Hennenbergi adum proinde docta insignia mecum  
Mirari, ut captum est, Lector amice iuvet.  
Casside diversa quibus est discordia concors,  
Diversum & regni significatur opus.  
Marte togaque simul pro casside mentis acumen  
Esto, licet galeam pacis amictus habet  
Mollior, ut quævis hinc munera, terror at illinc  
Iustitiæ nequeant te removeere loco:  
Sisque Pater Patriæ, sis omnibus utilis, etsi  
Transversum populum sæpius error agat:  
Cunctaque sint ingrata, nihil fecisse benigne  
Sæpe sit, offensas dissimulare queas,  
Multaque pro bonitate pati, velutique senili  
Sub mitra nævos & secus acta tegas.  
Namque potestatis maioris cuncta potestas  
Parentis velo sequentis eget.  
Radices tamen Improbilas si firmior egit,  
Insanabilior pars refecanda cadat.  
Quod galeæ ferrum, quod molles propter acutum  
Vult ensis folium significare, Typhas.  
Atiam mitis ubi patientia, lenis & egit  
Officium gravitas, egit & ira suum:

G

Altera

Altera cassis habet finalia præmia, quorum  
 Matronæ prius est obsequiosus amor.  
 Proxima dos Soboles, dulcis spes altera regni,  
 Clara corona patrum, firma columna domus,  
 Virgineo incumbens capiti: quod nempe columnæ  
 Illa coronatæ nobilis umbra monet,  
 Caudaꝫ, quam lunonis avis laudata coruscat,  
 Vexilli quam fert illa columna loco:  
 Et subtus gallina nigrans insculpta columnæ,  
 Quæ sibi de pluma nil nigricante sapit,  
 Nil cristas tollit, sed Saxa supra ardua montis  
 En pro pube sua Martia bella ciet,  
 Officiū subiecta viro facit, ova fidelis  
 Incubat, & pullos curat, alensq; fovet.  
 En, hæc vel magnis ut imago pudenda Monarchiæ  
 Ne sit, Gallinam Rex imitando facit,  
 Rex Maiestatis summæ, prætexere sacro  
 Cortis avem signo quem iuvat usq; sibi.  
 O quoties Solymos volui vos cogere cætus,  
 Ore suos volucris ceu pipiente ciet,  
 Christus ait, cumq; hoc vas lectum ac nobile Christi  
 Paulus ait: pullis mutat ut ore sonum  
 Cortis avis, quoties reperit vel pabula, sive  
 Hostili Harpyas ungue venire videt,  
 Acceptura sub alarum prius agmina tegmen:  
 Vos mea lugubris vox ita blanda vocat,  
 Teste licet Xenophonte boni Rex optimus instar  
 Patris habet: matri se tamen esse parem  
 Ipse DEVS facit, ipse piæ quasi viscera matris  
 Induit & *σὸν* funditus igne calet.

Igne,

igne, focus quali maternus semen adoptat,  
Format, vivificat, protegit, armat, alit.  
Hæc sunt, quæ toties complexi viscera cordis  
Littera sacra vocat, quæ petit usq; David.  
Non igitur matricis avis simulachra Dynastas  
Hennenbergiacos dedecuisse queant.  
Dent alijs Vulpes, Vrsi, Panthera, Leones  
Nomina, dent ipsis signa tremenda notis:  
Quæ iustis ut amet causis insignia, terror  
Nobilitas operi iure futura malo  
Laudo equidem: Sed hebent ut singula, iuncta valent sic  
Irae sit pietas officiosa comes.  
Deme pios animis motus: nil robur opesq;  
Nil sacra sceptrâ, nisi dira Tyrannis erunt.  
Fac impunè nimis det Mansuetudinis error  
Crimina grassari: crimen erit pietas.  
Vtraq; si coeant vinculis socialibus inter  
Se, maiestatis plena theatra dabunt.  
Hennenbergiacis sic miro fœdere signum est  
Cum Iovis clypeis alite cortis avis.  
Et galeam supra non solum nigra colore  
Cortis avis, pictæ sed quoq; fulgor avis:  
Iunonis stellatus avis decor, ille columnæ  
Impositus, vario cauda colore flagrans.  
Nimirum Herois virtus est magna, secundæ  
Quem res non inflant, non benefacta sua,  
Non dotes, non gestarum admiratio rerum:  
Sed removet pennis corda superba suis,  
Quas pictas oculis stellantibus elevat alte  
Sic, ut humum spectans plaudere cesset avis

Et quasi respiciat, quæ nidum in montibus infra  
Exornare parens, spreta colore, solet.  
Hanc admiratur lunonius ales & illi  
Applaudens pennas donat habere suas,  
Ceu matronali lepido certamine Romæ  
Sedula Gracchorum vincit ovatq; parens,  
Matribus hæc reliquis, ut amandos oris honores,  
Delicias, cultus, prædia, rura, domos,  
In medium ostentant: nihil his ego glorior inquit,  
Sed mundo palmam nobiliore fero:  
Visuræ sub nostra citæ concedite recta.  
Concedunt. Sobolem protulit illa suam,  
Moribus atq; habitu frugali, moribus apto,  
Compositam, ingenij eloquioq; gravem:  
Quæ sunt præsidium patriæq; domusq; tuendæ  
Quæ faciunt suaves, quæ sine lite, thoros:  
Splendoris citra fucos, crepitacula, bullas,  
Instrumenta citra tristis avariciæ,  
Atq; voluptatum, quas deinde doloribus emptas  
Pœnitet. O sapiens iure vocata parens,  
Sic & maiorum nostrorum tempore, quando  
Certabant Proceres ambitione pari:  
V V irtenbergiacum Dux hac Eberharde Dynastam  
Vna re palmam te retulisse ferunt:  
Venatu fessum si te forte avius error  
In ditione tua cogat adire casam,  
Cuiusvis hominis gremio deponere tuto  
Quod dormituriens languida membra queas.  
Sic Iudex, sic illustris vir, nobilis Heros  
Ornamenta putet maxima cortis avem,  
Cortis

Cortis avem scutis effingere pectoris almi,  
Et gallina sit ut, ferre, magistra sibi.  
Imperio serere, atq; satas ornare columnas,  
Et veluti pullos fætificare DEO,  
Et genium fraudare suum, dum pabula publi  
Suppeditent, pubem morte fovere sua.  
Omnia sit minimis qui maximus, anchora regni, est,  
Qui stellantis ovat dotibus, instar avis.  
His, aluit virtus irritamenta facesq;  
In vera quondam nobilitate, typis,  
Ne dubita & quamvis rudior fuit illa vetustas,  
Non ignara boni, non fuit illa tamen.  
Tandem, ut idem rerum duplici sub imagine quondam  
Niliaco regi significatur opus,  
Annonæ facilisq; gravisq;, ubi septima primum  
Vacca, dein totuplex mutat arista vices.  
Sic gallina quod alternis hinc scuta, quod illinc  
Pingit, aves inter quæ dominatur avis:  
Hanc ubi avem diadema, sed illam crista coronat:  
Dimidia hæc, illa est corpore tota suo:  
Hanc incumbentem generoso pectore fulcit  
Schacchia, fert illam montis honestus apex  
Diversis eadem res significatur in umbris,  
Plenius effigie posteriore patens:  
Altera nam bellum, pacem notat altera scuti:  
Dextra modo belli pars, modo pacis erit,  
Exotico, belli virtus ornatur, in auro:  
Scilicet externa sæpe ea pendet ope,  
Ambiguusq; tuis bicolor ceu Schacchia campis  
Nititur, atq; inter spemq; metumq; natat.

G 3

A paci

At paci quamvis in gloria forte corona est,  
Est nativa tamen propriaque ista magis.  
Dividit est præda lovius comitantibus ales  
Diversis avibus sed satur ipsa prius.  
At gallina satur nondum, nondumque cruento  
Pullum alit, exclusit quem prius alma cibo.  
Demum Aquila & pullos explorat acumine visus,  
Degeneremque cito mater acerba necat,  
Principiisque obstans, ne fera infamia stirpem  
Consceleret, cautæ mentis imago datur:  
At gallina diu sine suspitione sinistra  
Simplex, ova fovens subdita, mater alit.  
Inditio donec manifesto erumpat aquarum,  
Deserta profugus matre natator Anas,  
Aut Cuculus lacerans fratrum corpuscula rostris,  
Dum prior augetur ceu mala quæque seges,  
At regina tamen non extat corpore toto,  
Illa avium, sed ei Schacchia pectus obit:  
Nempe uti ne totis furor effundatur habenis.  
Est satis, auctorem fert ubi pæna suum.  
Parcatur reliquis, quibus ignorantia iustam  
Dat veniam, quorum iam timor ossa quatit.  
Nemo ferox cristis phalerisque superbiat. Eheu  
Schacchia uti, sic Mars Alloprofallus abit.  
Et modo Candidiore loco, modo stare cruento  
Cernitur. Hæc Tragica est, cras bona forte dies.  
At Gallina super petra firmissima gressus  
Figit, ita est omnis qui moderata sapit.

Gratia



Gratia Christe tibi, duce quo Sapiencia semper,  
Semper magna docens pectora Pallas habet.  
Hennenbergiadum scutis ænigmata qualis  
Deposuit, Sophiæ fruge referta bonæ.  
Hennenbergiadum fac ut sit imago Magistra  
Omnibus Herois principibusq; viris.

F I N I S.



IENAE Typis Donati Richtzenhan,  
Anno 1583.

ia



116

151

151

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through.

n.c




X 2707129

n.c







h. 117, 18.

W6  
151

GENEALOGIA ET BREVIS  
rerum gestarum consignatio

GENEROSORVM  
ATq; ILLVSTRISSIMORVM CO-  
MITVM AC PRINCIPVM HENNEN-  
bergicorum, quanta ab hominum memoria & li-  
brorum fide repeti potuisse videtur, Item  
EORVND E M

INSIGNIA GENTILICIA ET  
Imagines cum interpretatione de commones  
factionibus symbolicis, Heroibus ac  
Principibus dignis, compræhensa

CARMINE ELEG. ET  
Dedicata loco strænæ

GENEROSO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC  
DOMINO, DOMINO GEORGIO ERNESTO,  
COMITI HENNENBERGICO, DOMINO  
SVO CLEMENTISSIMO.

ab Auctore

JOH. PISCATORIO Norib. Professore poëtices  
in Academia Salana.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

8  
*J. P. Piscatorio*